



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XCI. Qui habitat in auditorio altissimi, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Quos tanto spacio tristia fata premunt.
Atq; tui famuli videant tua facta stupenda,
Et tua sit pueris gloria nota tuis.
Sit nobis bonus ac mitis clemensq; Iehoua,
Nostra quod instituit dextraq; firmet opus.
Det quoq; successus faciles, pia cœpta secundet,
Ut celebrent cuncti laude & honore Deum.*

P S A L M V S X C I.

Qui habitat in adiutorio altissimi, &c.

*C**ui residere datur sub tegmine Numinis alti,
Quem tegit omnipotens propitii umbra Dei.
Hic Domino dicit: mea spes, fiducia, rupes,
Unde mihi auxilium, vita, salusq; venit.
Eripit ille etenim laqueo venantis acerbo,
Atq; venenata liberat ipse lue.
Ille suis pennis te conteget, illius ala
Semper erunt portus perfugiumq; tibi.
Tutus eris, tibi dum pietasq; fidesq; salusq;
Illius, & clypei & presidii instar erunt.
Ne te terrificent cœca ludibria noctis:
Ne feriat media in luce sagitta volans.
Ne timeas dira in tenebris contagia pestis,*

A a

Pernis

Perniciem in claro ne metuasq; die.
Utq; cadant latere à lauo tibi mille, decemq;
Partibus à dextris millia, tutus ages.
Imò tuis oculis spectacula leta videbis,
Cum reprobis factis premia digna ferent.
Ipse etenim Dominus tua spes, fiducia, robur:
Igneus, à te arcens, ceu, mala, murus erit.
Nulla tibi obuenient aduersa, nec anxia plaga
Accedet tectis, damna parare, tuis.
Angelicis siquidem mandauit loua ministris,
Sedulò ut obseruent teq; tuasq; vias.
Ut manibus gestent sublimem te, pedibus ne
Impingas lapidi, vel mala damna feras.
Aspida calcabis pedibus, sauumq; leonem,
Igniuomusq; Draco terga premeunda dabit.
Me quia dilexit: prompta est mea dextra iuuare:
Mortifera eripiam pestilitate Deus.
Me quoniam implorat, sua vota precesq; valere
Sentiet, ipse adero, quando premetur, ei.
Eripiam cunctis, dextra victrice, periclis,
Dignabor seruum laude & honore meum.
Deniq; longa illum saturabo tempore vite,
Æterna consors ipse salutis erit.

PSAL.